

qualibet alia extrinseca ordinatione; sed per operationes, quibus movetur ad consequendam à Deo gloriam per modum finis, vere meretur talem finem: ergo homo independenter ab aliqua ordinatione extrinseca vere meretur gloriam. Maior est D. Thom. supra quest. 2. art. 2. & quest. 5. art. 7. Minor verò probatur primò ex ipso Ang. Mag. Tum loco ultimo proxime citato, ubi ait, quòd homo consequitur beatitudinem multis motibus operationum, quae merita dicuntur. Tum in praef. art. 1. in corp. ubi docet, quòd homo consequitur à Deo per suam operationem quasi mercedem, ad quòd Deus ei virtutem operandi deputavit: sicut etiam res naturales hoc consequuntur per proprios motus, & operationes, ad quòd à Deo sunt ordinatae: differenter tamen, quia creatura rationalis seipsam movet ad agendum per liberum arbitrium: unde sua actio habet rationem meriti, quòd non est in alijs creaturis. Secundo: nam illud bonum, quòd aliquis consequitur per suum laborem, dicitur merces, quamvis nulla ordinatio praecedat: & in huius signum de hypocritis largientibus elemosynas, ut ab hominibus honorentur, dixit Christus Matth. 7. receperunt mercedem suam, quia consequuti sunt finem, quem intendebant, estò nulla praecesserit ordinatio; sed merces, & meritum sunt correlativa: ergo.

Confirmatur secundo. Quia ut vnus homo mereatur apud alium, satis est, quòd operetur in obsequium illius, ipso consentiente, vel non contradicente; si enim pauper, qui solet operas suas locare, laboret in vinea alterius, ipso consentiente, meretur verè primum, quamvis nulla ordinatio, seu pactum praecesserit ex parte domini: ergo etiam homo merebitur apud Deum, si operetur in obsequium illius, ipso non solum consentiente, sed praecipiente, aut consulente, estò non intercedat pactum.

Confirmatur tertio. Nam ut actus malus sit demeritorius, non requiritur ordinatio ad poenam: ergo nec actus bonus, ut sit meritorius. ¶ Confirmatur ultimo. Nam multi ignorant praedictam ordinationem, seu promissionem; & nihilominus merentur: ergo non est necessaria. Patet consequentia: cum haberet rationem contractus, qui debet contrahentibus innoscere.

Ad argument. respondetur negando antecedens. Ad cuius primam probationem dicendum est, quòd ex dignitate operis procedentis à charitate tantum sequitur, quòd sit meritorium in actu primo, scilicet verò in actu secundo, ut liquet in actibus animae separatae, & glorificatae, necnon in operibus Christi Domini respectu redemptionis demonum. Unde signum est, quòd ad meritum in actu secundo, seu ad acquirendum ius ad primum requiritur

lex divina ordinans defectò tale opus ad primum, ex cuius defectu opera recensita non sunt in actu secundo meritoria, essent tamen, si accederet talis lex, quam Deus de potentia absoluta potest statuere pro animabus purgatorij, glorificatis, & pro Christo respectu demonum.

Ad secundam probationem dicendum, quòd gratia solum tribuit ius ad vitam aeternam titulo connaturalitatis, quia est semen gloriae, contra cuius rationem non esset, si Deus vtens suo supremo dominio, & de potentia absoluta habenti gratiam denegaret gloriam in aeternum: idemque dicendum est, si Deus denegaret illam operanti per gratiam. Nequit tamen Deus de potentia absoluta denegare gloriam ei, qui defectò illam meretur: quia, ut inquit Apost. 2. ad Timoth. 2. *Fidelis permanet, seipsum negare non potest.* Ad hunc sensum etiam concedimus, quòd operibus ex gratia factis debetur gloria titulo connaturalitatis, itaut si iustus eliciat actum charitatis ut octo, conferatur ei per modum haereditatis gloria ut octo, quia est dispositio connaturalis ad gratiam ut octo. Non tamen possunt habere ius meritorium ad ipsam gloriam per modum coronae, nisi accedente pacto.

Ad primam confirmationem respondetur permittendo maiorem, modo proxime insinuatò; & negando minorem. Ad primam eius probationem dicendum est, D. Thom. in illis duobus testimonijs loqui defectò & secundum praesentem providentiam, in qua existit ordinatio & promissio conferendi primum propter opera nostra bona, & in hac suppositione homo per sua opera tendit ad gloriam motibus meritorijs. Et quòd hic sit sensus D. Thom. constat ex testimonio allegato ex hac quest. & art. 1. ubi ante verba relata inquit: *Et ideo meritum hominis apud Deum esse non potest nisi secundum praesuppositionem divinae ordinationis.* Ad secundam respondetur negando antecedens. Nec verba Christi aliquid vincunt: quia si cut opera hypocritarum sunt bona tantum apparenter, ita laus, & honor apparenter dicuntur merces.

Ad secundam confirmationem respondetur, quòd nec vnus homo meretur apud alium, etiam si operetur in obsequium illius, nisi intercedat pactum, aut lex aliqua positiva à Republica imposita, quae gerat vicem pacti. Et hac ratione, quia Principes subiungunt legi naturali ad distribuenda dignè praemia, homo per eius opera acquirit ius ad primum in vi legis naturalis, quae habet rationem pacti. Sed hoc adhuc non sufficit, ut meritum sit apud Deum, quia est supremus dominus operum nostrorum, quae illi pluribus titulis sunt debita, & propterea aliud pactum necessarium est. Quinimò si Petrus v.g. tota die laboraret in vinea Pauli absque

villo pacto, non teneretur Paulus ex iustitia reddere iustum praemium, quia posset putare illud opus esse gratuitum beneficium, vel in satisfactionem alicuius beneficij praestiti à Paulo, vel ob conservandam eius amicitiam, & benevolentiam.

Ad tertiam confirmationem respondetur negando antecedens: ut liquet in peccatis damnatorum, qui ratione illorum non merentur poenam ex defectu ordinationis: & legis divinae. Pro quo videndus est Div. Thom. 2. 2. quest. 13. art. 4. ad 2. ¶ Respondetur secundo concedendo antecedens; & negando consequentiam. Cuius disparitas est, quia meritum acquirit ius ad primum, quòd respectu Dei nequit fieri absque pacto ipsius, quia nostra bona opera sunt ei pluribus titulis debita. Homo verò peccans non adquiret ius per suum demeritum ad poenam sed potius illud tribuit Iudici, ut illud puniat, quatenus diminuit honorem alterius, maxime Dei, & propterea in Deo, seu supremo gubernatore nascitur sine villo alio pacto ius ad puniendum. ¶ Ad vitam confirmationem respondetur, quòd omni iustificatio sufficienter innoscit promissio Dei de remunerandis meritis: cum sit necessarium simpliciter ad salutem credere, quòd Deus est, & remunerator.

DUBIUM IV.

An aliquis sine gratia mereri possit vitam aeternam?

PRaeter conditiones ad merendum requisitas duobus dubijs praeced. enumeratas, de alijs duabus solet apud Auctores controversi, nempe de necessitate gratiae habitualis, & ordinationis bonorum operum in Deum per charitatem. De quibus tantum disputavit Div. Thom. art. 2. & 4. Et ut suo ordine procedamus, prius agendum est de necessitate gratiae, quòd in hoc dubio praestamus.

Circa quòd primus erravit Pelagius dicens meritum vitae aeternae fieri posse viribus naturae absque gratia auxiliante. Deinde Michael Bauius proposuit. 14. inter proscriptas à Pio V. & Gregor. XIII. aiebat, quòd opera bona à filijs adoptivis facta non habent rationem meriti, ex eo quòd sunt per gratiam habitualement, sed praecise ex eo quòd sunt legi consona. Et in proposito. 16. addit, quòd meritum non consistit in eo, quòd quis habeat gratiam, sed in eo praecise quòd obedit legi. Unde primus error asserit, quòd ad meritum non requiritur gratia habitualis, sive in statu naturae integre, sive in statu naturae corruptae. Secunda sententia asserit, quòd licet de lege ordinaria gratia habitualis sit necessaria ad meritum de condigno.

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

no, scilicet verò de potentia absoluta. Ita Scotus in 1. dist. 17. quest. 2. Nominales ibidem, & Medina in praef. qui loquuntur etiam de operibus praecise naturalibus. Quibus suffragatur Suarez lib. 13. de Grat. cap. 14. loquens tantum de operibus, quae possunt, & petunt fieri ab auxilio supernaturali. Alij tandem asserunt, quòd gratia habitualis non est necessaria ad meritum de condigno, licet sit necessaria ad meritum de condigno. Pro qua potest referri Serena in suo per solito tract. de Merito, ubi defendit, primam gratiam sive auxiliantem, sive habitualement posse cadere sub merito de condigno ad huc respectu operum naturalium. Quod si consequenter procedat, id ipsum docere debet vitia aeterna. Ultima sententia docet, gratiam habitualement esse essentialiter necessariam ad meritum, sive condignum, sive de condigno vitae aeternae. Pro qua fit.

§. I.

Sententia nostra tribus assertionibus enumerata.

DESCENDENDUM est primò, gratiam habitualement de lege ordinaria esse necessariam ad meritum de condigno vitae aeternae, sive in statu naturae integre, sive in statu naturae corruptae. Ita omnes Catholici ex quibus plures asserunt esse de fide. Et merito, quia colligitur id aperte ex sacra scriptura. Tum ex illo ad Galat. 5. & 6. *In Christo Iesu neque circumcissio aliquid valet: sed fides, quae per charitatem operatur.* Tum ex illo Ioann. 15. *Sicut palmae non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis (per gratiam iustificantem.)* Tum ex illo Ioann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Tum denique (alijs testimonijs missis) ex illo 1. ad Corinth. 13. *Si charitatem non habuerit, nihil sum: nihil mihi prodest.*

Id ipsum definiunt Conc. Milevit. can. 54. Araus. 2. can. 18. & Frid. sess. 6. cap. 16. ubi docet, sine gratia habituali, seu iustificatoria opera nostra non esse Deo grata, & meritoria. Et can. 2. ita definit: *Si quis dixerit ad hoc solum divinam gratiam per Iesum Christum dari ut facilius homo iuste vivere, ac vitam aeternam promereri possit, quasi per liberam arbitrium sine gratia utrumque: possit, anathema sit.* Idem etiam constat ex bulla Pij V. & Greg. XIII. ubi damnatur oppositus error Michaelis Baji.

Idem passim docet Aquila DD. August. praesertim in Enchirid. cap. 106. ubi docet, quòd adhuc in statu naturae integre sine gratia nec tunc ullum bonum meritum esse potuit.

¶

Prof.

Prosper ad capita Gallorum cap. 6. & D. Thom. in pract. art. 2.

Et probatur ratione D. Thom. Nam ad meritum de condigno requiritur præordinatio divina; sed Deus de lege ordinaria non præordinat ad vitam æternam opera facta ab homine non existente in gratia, sive in statu naturæ integræ, sive in statu naturæ corruptæ: ergo gratia habitualis de lege ordinaria necessaria est ad meritum de condigno vitæ æternæ. Minor probatur: (maior constat ex dictis dub. præc.) nam Deus de lege ordinaria non ordinat actum aliquem ad id, quod excedit proportionem suæ virtutis, quia ad providentiam Dei ordinariam spectat, ut nullus agat ultra suam virtutem; sed vitæ æternæ excedit non solum proportionem naturæ creatæ, sed etiam quamlibet virtutem adhuc supernaturalem infra gratiam, & charitatem: ergo Deus de lege ordinaria non præordinat ad vitam æternam opera facta ab homine non existente in gratia.

Et confirmatur pro homine existente in peccato ratione secunda D. Thom. Nam homo, dum est in peccato, est dignus poenæ æternæ, & meretur privati vitæ æternæ; sed saltem de lege ordinaria repugnat, quod præordinetur ad vitam æternam, dum meretur ex privati, aliis de lege ordinaria posset deberi vitæ æternæ, & privatio illius: ergo homo existens in peccato non potest de lege ordinaria mereri de condigno vitam æternam; sed peccatum saltem iuxta præsentem, & communem providentiam non potest auferri nisi per gratiam habitualem: ergo homo in natura corrupta non potest mereri de condigno iuxta præsentem providentiam vitam æternam sine gratia habituali.

47. Dicendum est secundo, hominem sine gratia habituali non posse adhuc divinitus mereri de condigno vitam æternam. Hæc conclusio non leviter colligitur ex D. Thom. quæst. 27. de Verit. art. 2. ad 4. ubi sic ait: *Dicendum, quod charitas non sufficeret ad meritum bonum æternum, nisi præsupposita idoneitate merentis, qua est per gratiam.* Et hanc idoneitatem per gratiam ut præcisam ab idoneitate operis (de qua dub. seq.) statuimus ut conditionem necessariam ad meritum vitæ æternæ.

Et de homine existente in peccato mortali ex proximè dictis patet: Si quidem per peccatum mortale homo meretur privati vitæ æternæ: ergo ut faciat sibi illam debitam ex iustitia, ut patet ad meritum de condigno, opus est, quod eius meritum vincat, & excedat demeritum peccati mortalis, proindeque mereatur de condigno remissionem peccati; sed hoc est impossibile adhuc de potentia Dei absoluta, ut supponimus ex dicendis tract. de Incarnat. disp. 1. ergo repugnat, quod homo existens in pecca-

to mereatur de condigno vitam æternam. Neque in hoc immoramur, quia Svarius, & alij adversarij in hac parte nobiscum conveniunt.

De homine vero carente gratia, & peccato, qualis esset homo in natura pura existens, aut in natura integra, sive elevatus præcise aliquo auxilio actuali transeunti ad efficiendam aliquam opera supernaturalia, ostenditur ratione generali desumpta ex D. Thom. art. 2. Nam homo ille, qui non est capax consequendi absolute vitam æternam, incapax est etiam ad illam merendam de condigno; sed homo existens sine gratia habituali incapax est consequendi absolute vitam æternam: ergo non potest illam mereri de condigno. Maior est certa: nam meritum de condigno debet respicere præmium saltem ut possibile. Minor vero probatur: nam radix unica videndi, & amandi Deum super omnia est gratia habitualis: unde sicut disp. præc. à num. 36. ostendimus, repugnare adhuc per potentiam Dei absolutam hominem eljere actum charitatis sine gratia habituali, ita repugnare debet, quod sine illa eljatur visio beatificam propter maiorem eius perfectionem, quæ non potest ignobilis principium; ergo homo sine gratia habituali incapax est consequendi absolute vitam æternam.

Et confirmatur nam dato, quod homo absolute sit capax vitæ æternæ sine gratia habituali; repugnat tamen adhuc per potentiam Dei absolutam, quod sit capax illius per modum hereditatis sine illa: ergo etiam repugnat divinitus, quod sine gratia habituali sit capax gloriæ per modum coronæ. Antecedens est certum: nam ad tribuendam homini gloriam per modum hereditatis indispensabiliter requiritur tanquam fundamentum ius filiationis; & sicut repugnat, quod aliquis sit filius, quin sit genitas, ita repugnat, quod sit heres, quin sit filius, iuxta illud à Galat. 4. *Non enim erit heres filius ancille cum filio libera.* Filiatio autem, sicut & generatio spiritalis, intelligi nequit absque communicatione naturæ divinæ per gratiam habitualement, ut probatum manet tract. præc. disp. 2. à num. 40.

Consequentia vero probatur: Nam ut homo sit capax gloriæ per modum coronæ, etiam debet esse capax tribuendi ius, & debitum iustitiæ ad consequendam gloriam; sed prædictum ius & debitum existit essentialiter pro fundamento gratiam habitualement: ergo sicut sine gratia habituali homo est incapax gloriæ per modum hereditatis, ita est incapax illius per modum coronæ. Minor probatur: nam ius meritum pertinet saltem ad iustitiam distributivam, ratione cuius bona communia dividuntur inter partes communitatis, servata proportione inter illas: unde, ut beatitudo sit debita homini ex iustitia distributiva, debet computari à Deo inter bona communia, quamvis sit

sit propria Dei, si enim computari non valet inter bona communia, nequit dari locus ad ius, & debitum tribuendi illam ex iustitia; atqui vitæ æternæ nequit computari adhuc per potentiam Dei absolutam inter bona communia, nisi supponat gratiam, & charitatem, qua homo privative fit amicus Dei (etenim ratione amicitie bona amicorum sunt communia) ergo ad ius meritum, & debitum ex iustitia requiritur essentialiter pro fundamento gratia, & charitas. Quam rationem paucis verbis proponit D. Thom. in 4. dist. 15. quæst. 1. art. 3. quæstionem. 4. ad 1. ubi ait: *Et ideo nullum opus nostrum ex quantitate sua bonitatis habet, quod aliquid mereatur, sed ex vi charitatis, quæ facit ea, quæ sunt amicorum, esse communia.*

Confirmatur secundo, permittendo gratia quod homo possit constitui præcise per acceptationem extrinsecam Dei filius adoptivus, iustus, gratus, & dilectus: Nam ideo ius ad gloriam per modum hereditatis tunc resultaret, quia fundamentum filiationis provenit ab extrinseco ex pura voluntate adoptantis, merè passivè se habente filio adoptato; sed ius meritum essentialiter provenit ab intrinseco, ut contra Scotistas, & Nominales probavimus numer. 11. & hoc supponit dignitatem intrinsecam, quæ absque gratia, & charitate esse non potest, ut videbimus dub. seq. ergo. Per quod amandatur Scotus, & Nominales, aentes; hominem per actus merè naturales, addita acceptatione, & ordinatione extrinseca Dei, posse mereri de condigno vitam æternam. Hæc assertio magis roboratur ex dicendis dub. seq.

48. Dicendum est tertio, hominem non posse adhuc divinitus mereri de condigno, congruitate propriè dicta, vitam æternam sine gratia habituali. Hanc assertionem statuimus contra Sernam, & alios Thomistas. Diximus congruitate propriè dicta: Nam meritum de condigno est duplex: aliud in hac linea propriè tale, & est illud, quod ex parte actus importat aliquam proportionem, & fundatur non in sola misericordia, & liberalitate Dei, sed etiam in aliquo debito intrinseco amicitie, quæ facit bona Dei esse communia, ut supra nos docuit D. Thom. & ut inquit infra art. 6. *Quia homo in gratia constitutus adimplet Dei voluntatem, congruum est secundum amicitie proportionem, ut Deus impleat hominis voluntatem.* Alterum est tantum improprè & extrinsecè, vel quia non habet aliquam proportionem cum præmio; vel est illam habeat, fundatur eius decencia in sola misericordia Dei. Assertio nostra procedit de merito de condigno primo modo accepto.

Quæ facile suadetur ex dictis tract. præc. disp. 1. à num. 22. Nam homo sive per opera naturalia, sive per opera supernaturalia nequit

divinitus mereri de condigno propriè loquendo primam gratiam habitualement: ergo nec vitam æternam sine illa. Habitualem est legitima. Et antecedens, quod negat Serna cum alijs Thomistis, probatur: nam ad prædictum meritum de condigno omnino requiritur ius intrinsecum fundatum in amicitia Dei; sed pro priori ad gratiam habitualement impossibilis est amicitia hominis cum Deo, ut supponimus: ergo per nulla opera potest homo mereri de condigno gratiam habitualement. Videantur omnino dicta locè citato.

§. II.

Fundamenta opinionis oppositæ:

49. Adversus primam, & secundam assertionem arguitur ex Scoto. Nam opera nostra non sunt meritoria de condigno nisi ex ordinatione, & acceptatione extrinseca Dei, sicut moneta habet valorem ex voluntate Principis; sed potest Deus acceptare opera facta extra gratiam, & ex tali acceptatione talia opera habere valorem sufficientem ad merendum de condigno vitam æternam, sicut Rex potest rem parvi valoris intrinsecè acceptare ad hoc, ut habeat æqualem valorem cum rem maioris valoris intrinsecè: ergo homo per potentiam Dei absolutam potest mereri de condigno vitam æternam per opera extra charitatem facta.

Ex hoc argumento sequitur, si virgeret, quod homo per minimum opus bonum morale possit divinitus mereri de condigno non solum vitam æternam, sed etiam Incarnationem: siquidem si Deus potest supplere per acceptationem extrinsecam valorem, qui deest operibus, non est, cur non possit supplere valorem infinitum requisitum ad meritum de condigno Incarnationis; quod à nullo audivimus, Quinimo sequeretur, hominem in pura natura posse illam mereri, quod est intolerabile, ut potest sapiens hæresim pelagianum.

Respondetur ergo, quod licet ad meritum de condigno requiratur ordinatio, & acceptatio extrinseca Dei; hæc autem debet supponere valorem intrinsecum in opere meritorio, itaut pro priori ad illam hoc fit meritum de condigno in actu primo; & accedente pacto, fit meritum in actu secundo. Si enim non præsupponitur valorem intrinsecum, & sufficiens, non potest inducere ius ex iustitia, sed aliud late sumptum fundatum in liberalitate, & misericordia præstantis. Alia ratio est in moneta, cui Princeps potest præstare valorem, qui ei deest, ut deserviat humanis contractibus: quia in ea solum queritur æstimabilitas apud homines, undecumque proveniat. Maxime, quia non est omnino certum, quod Princeps possit persè lo-

quendo constituitur monetam in re non habente valorem intrinsecum sufficientem.

50 Arguitur secundo ex Suario: Nam ad meritum de condigno ex parte actus solum requiritur valor aequalis cum premio; sed opera supernaturalia facta ab homine non existente in gratia habent valorem aequalem cum gloria: ergo homo non existens in gratia potest per opera supernaturalia mereri illam de condigno. Minor probatur: nam praedicta opera eandem bonitatem habent in homine non existente in gratia, ac in eo, qui illam habent; sed in homine habente gratiam habent aequalem valorem cum gloria: ergo etiam in homine non existente in gratia.

Solutio huius argumenti pendet praecipue ex dicendis dub. seq. a quibus tamen in praesenti praescindimus, quia independenter ab eis potest praesens quaestio defendi. Dicimus ergo, quod licet eadem opera supernaturalia hominis, siue existentis in gratia, siue non existentis, sint aequalis valoris ex parte operis, tunc verò ex parte operantis: quia gratia saltem extrinsecè tribuit huiusmodi operibus aliquem valorem, ratione cuius opus idem est Deo gratum, & non sine gratia, iuxta illud Genes. 3. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Ad quod accedit, quod opera amicorum in maiori estimatione habentur, quam eadem opera alicuius extranei: & ad hunc sensum opera in gratia facta habent sufficientem valorem, quem non habent in homine Deo non grato.

51 Sed dices: Si gratia est forma dignificans tantum extrinsecè opera nostra, in quantum dignificat personam constituens eam gratam & Deo dilectam, sequitur, quod habens maiorem gratiam magis mereatur, estò opera illius habeant aequalem bonitatem intrinsecam, quia ita se habet magis ad magis, sicut simpliciter ad simpliciter; sed hoc non est admittendum propter sententiam probabiliorum Thomistarum, quam infra amplectemur, asserentium meritum ceteris paribus non crescere ex maiori intentione gratiae, & charitatis: ergo gratia, praesertim influxu physico in opus meritorium, de quo dub. seq. non conducit ad valorem intrinsecum meriti: proindeque eiusdem valoris quoad hoc est opus idem supernaturale cum gratia, siue sine illa:

Respondetur, nos non intendere in hoc dubio, quod opus factum ab existente in gratia per hoc praesens, & independenter ab influxu physico illius habeat dignitatem intrinsecam sufficientem ad promerendum de condigno vitam aeternam: hoc enim pendet ex alia conditione, quam dub. seq. stabilimus ad meritum vitae aeternae. Solum ergo in praesenti intendimus persuadere necessitatem gratiae habitantis, & constituentis personam Deo gratam, si-

ne cuius dispositione opera adhaec supernaturalia nequeunt proximè, & per viam meriti condigni perducere hominem in vitam aeternam. In qua suppositione neganda est sequela maioris: quia gratia tantum se habet per modum purae conditionis habitantis subiectum, & constituentis illud proportionatum in ordine ad promerentem, scilicet Deum, & in ordine ad praemium vitae aeternae: ad quod peraccidens se habet, quod homo fit magis, vel minus iustus. Sicut in humanis ad promerendum praemium statutum solum nobilibus, ut habitus militares, necessariò requiritur in merente nobilitas per modum dispositionis, & conditionis illum habitans; qua supposita, maior, aut minor nobilitas peraccidens se habet, & solum attenditur persè qualitas miriti. Idem contingit in praebendis Ecclesiae Toletanae, ad quaeritur puritas sanguinis, & in beneficijs patrimonialibus, ad quae promerenda, peraccidens se habet, quod merens sit magis, vel minus patrimonialis, hoc est ex vno, vel pluribus capitibus, & alius quantumvis doctus, si deest ei haec conditio, non potest promereri beneficium. Axioma illud solum tenet in eo, quod se habet persè, & per modum causae formalis intrinsecae, non verò praesens per modum conditionis sine qua non, ut liquet in cognitione per ordinem ad amorem, & in existentia per ordinem ad operandum.

52 Arguitur tertio. Nam vnus homo potest apud alium mereri, tamen antea in sua gratia non extiterit: ergo multò magis homo absque gratia Dei potest ab ipso mereri de condigno vitam aeternam. Patet consequentia: quia liberalitas, & misericordia Dei excedit infinitum misericordiam, & liberalitatem humanam.

Confirmatur. Nam in humanis, casu quo quis promiserit praemium liberanti filium suum a morte, vel captivitate, inimicus eius, si illum liberaret, promereretur propositum praemium; sed Deus promisit vitam aeternam opera misericordiae, & aliarum virtutum facientibus: ergo iniustus, si haec opera faciat, potest mereri à Deo vitam aeternam. Patet consequentia, propter rationem proximè datam.

Ad argumentum, quod in proprijs terminis proponit Div. Thom. in praef. dupliciter respondet iuxta diversitatem non iusti, & iniusti. Quantum ad primum ait, quod homo habet à Deo virtutem beneficiendi per eius gratiam, & ideo non potest aliquid mereri, nisi prius habeat gratiam ipsius. Unus autem homo non habet ab alio virtutem merendi, aut meritum: qua disparitate potest apud illum mereri, quamvis eius gratiam antea non haberit. Ubi D. Thom. non intelligendus est de quacumque gratia (explanatur solutio) qua obscura videtur sed de gratia habituali, quia sola haec habili-

bili-

bitate subiectum non solum habitualiter, sed etiam absolute proximè cum vita aeterna. Unde sicut ad promerendam cathedram non sufficit vi dispositio proxima, quod aliquis absolute ignarus est auxilium specialiter transeunti optime disputet de aliqua materia; ita homo non est sufficienter dispositus pro auxilium transiens ad vitam aeternam, sed requiritur gratia habitualis, quae sola constituit hominem in esse divino.

Quantum ad hominem iniustum respondet D. Thom. ibi, quod simile est de homine, & de Deo: quia etiam homo ab alio mereri non potest, quem offendit prius, nisi satisfaciens reconcilietur. Loquitur enim de premio proprio amicorum, ut est vita aeterna apud Deum. Unde sicut inimicus Dei nequit mereri illam de condigno, ita inimicus vnus hominis, perseverante offensa & inimicitia, nequit mereri de condigno praemium humanum proprium amicorum, sicut est convictus, & communicatio familiaris, & secretorum revelatio, licet possit mereri praemia mercenariorum. Est tamen notabilis differentia quoad hoc inter hominem relatè ad Deum, & inter vnum hominem relatè ad alium: quòd vnus homo potest de condigno alteri satisfacere, & tollere offensam illi irrogatam; qua sublata, potest etiam promereri de condigno praemia amicorum, & forte hoc contingeret in casu adducto in confirmatione. At quia homo non potest de condigno satisfacere pro offensa gravi, necesse est, quod prius recipiat gratiam habitualement, quae est reconciliativa, ad hoc ut mereatur vitam aeternam, quae, ut dixi, est praemium amicorum. Per quod constat ad confirmationem.

53 Ultimò arguitur: Nam non minus requiritur ad satisfactionem, quam ad meritum: nam satisfactio requirit opus meritorium, ut docet D. Thom. 4. dist. 17. quaest. 2. art. 4. quaestione. 3. ad 3. ubi addit, quod poena purgatorij non est satisfactio nisi largè, id est poenae debite solutio; sed satisfactio essentialiter non dependet ex gratia, vt constat in poenitentia, qui in statu peccati adimplet poenitentiam impositam à Confessorio, quae si non esset satisfactoria, teneretur poenitens, dum est in gratia, iterum adimplere: ergo nec ad meritum requiritur gratia.

Ex hoc argumento, si paritas tenet, & veritati innuitur, sequitur hominem existentem in peccato defacto, & non solum de potentia absoluta posse mereri sine gratia; quod nullus catholicorum concedit. Respondetur ergo concedendo maiorem; & negando minorem. Nam, ut inquit D. Thom. in Supplement. quaest. 14. art. 2. *Opponetur: quod opera satisfactoria sint Deo accepta, quod dat eis charitas: & ideo sine charitate opera facta non sunt satisfactoria.* Ad inconveniens adductum dicen-

dum est, quod praecipuum Confessorij, & res praecipuae possunt considerari dupliciter, & quoad substantiam, & quoad illius finem, seu modum. Primo modo tantum dicunt opus tantae poenitentiae, quanta delectationis fuit peccatum commissum. At posteriori modo important ut finem inter alia reatum poenae extinguendum. Ad hoc autem ut praecipuum Confessorij adimpleatur absolute, satis est; quod poenitens poenitentiam à Confessorio impositam exequatur, ad quod peraccidens se habet, quòd sit in statu peccati, vel non; & quòd non extingatur reatum poenae: ut liquet in alijs Ecclesiae praecipuis, in quibus finis praecipui non cadit sub praecipuo. ¶ Difficultas tamen est, an praedicta satisfactio, recedente fictione, ex opere operato & in virtute sacramenti, & vt pars integralis illius habeat suum effectum? Ad quod affirmative respondent in praef. NN. Salmant. disp. 3. num. 8. cum Caetano. Sed oppositum docent tract. 24. disp. 10. à num. 66. & est conformis D. Thom. in Supplement. quaest. 14. art. 3. Quae loca quodammodo ad concordiam reduci valent, si dicatur in priori loco loqui de satisfactione relinquente aliquem effectum durantem vique ad statum gratiae non in se, quoad ipsum effectum praesens modo explicato à praedictis PP. in posteriori loco, ubi omnino videndi sunt.

DUBIUM V.

Utrum ad meritum de condigno vitae aeternae requiratur aliquis influxus actualis gratiae mediae charitatis?

Ultima, & praecipua conditio meriti de condigno, ad quam praecedentes collimant, est ordinatio operis meritorij in obsequium Dei praemiantis. Pro qua praesens dubium instituitur, quod sub alijs terminis solent Authores excitare, videlicet, *An ad meritum condignum vitae aeternae requiratur ordinatio charitatis?* Sed reverè in idem coincidunt, quia talis est ordinatio, qualis est influxus, & vteriusque titulus à nobis propositus est clarior. Sed ante eius decisionem nonnulla supponenda sunt, vt eius titulus magis clarescat.

§. I.

Suppositiones, & Doctorum sententiae.

54 Supponendum est primò, operatio- nes iustorum multipliciter posse ordinari ad Deum vt vltimum finem. Primo modo ex natura rei, & ex parte operis, ad modum quo finis intermedius connexus cum fine vltimo ordinatur ad illum: & haec ordinatio vocatur *virtualis*; sed non habet locum in praesenti quia

quia omnis operatio honesta est indifferens ad hoc, ut referatur in Deum, vel ad proprium bonum, quod est ultimus finis peccatoris. Secunda ordinatio est habitualis ex parte tam operantis, quam operantis: quia operans ratione gratiae, & charitatis habitualis est habitualiter ordinatus in Deum ultimum finem: & hoc modo omnes operationes iustorum ordinantur saltem in illum, necnon peccata venialia, ut tradidimus cum D. Thom. tract. 8. dub. 7. Tertia ordinatio est formalis, quando scilicet homo per actum charitatis formaliter existentem ordinat actus aliarum virtutum in Deum super omnia dilectum; & hunc modum operandi, utpote perfectiorem, habuit Christus in omnibus suis operationibus pertinentibus ad alias virtutes, & eodem modo ordinatur contritio perfecta de peccatis, ut tradit D. Thom. supra quaest. 113. art. 7. ad 2. Quarta, & ultima ordinatio est virtualis: & tunc accidit, quando habitus, vel actus charitatis formalis relinquit aliquam sui virtutem, media qua insuit in actus aliarum virtutum, quo pacto nequit influere in actus venialiter peccaminosos: quia incapaces sunt non solum influxus actualis charitatis, sed etiam aliarum virtutum.

55. Supponendum est secundo, aliquam ordinationem charitatis ex praedictis esse necessariam ad meritum condignum vitae aeternae, ut docet D. Thom. in praef. art. 1. ad 2. Et rationem tradit supra quaest. 21. art. 3. quia meritum, & demeritum dicuntur talia in ordine ad retributionem ex iustitia; sed nec Deus, nec particularis aliqua persona, nec Rector communis tenetur ex iustitia, nisi operatio ordinetur in obsequium illorum, quia ad ipsos non attinet: ergo ut actio sit meritoria apud Deum, necesse est, quod ad Deum ordinetur.

56. Supponendum est tertio, actum formalem charitatis esse essentialiter meritorium in actu primo proximo. Tum quia est essentialiter ordinatio formalis in Deum ultimum finem, quae est forma meriti, ut inter disputandum constabit. Tum etiam, quia essentialiter dependet a gratia. Pro quo videnda sunt omnino, quae diximus disp. praef. a num. 37. & praecipue num. 41. ¶ Supponendum est quarto, ordinationem formalem charitatis per actum formalem illius physicè, & formaliter existentem non requiri necessario ad meritum de condigno vitae aeternae. In hoc conveniunt univèrsi Theologi. Et merito: nam Deus promissit coronam gloriae operantibus propter Deum summè dilectum modo humano, & moraliter possibili; sed modus operandi formaliter propter Deum summè dilectum non est humanus, & moraliter possibilis, quia, ut ait D. Thom. quaest. 2. de Veritate, art. 11. ad 2. impossibile est moraliter loquendo, quod homo semper sit in actuali consideratione ultimi finis: hoc enim pertinet

ad perfectionem patriae: & in 2. dist. 7. art. 5. ad 7. ait, quod omnia facere in gloriam Dei ex intentione actuali, seu formali talis finis non est preceptum, nec consilium, sed finis omnium preceptorum consequendus in patria: ergo ad meritum vitae aeternae non requiritur ordinatio formalis charitatis. Adde: Nam ordinatio tantum virtualis est sufficiens ad celebrandos contractus, ministranda sacramenta, necnon ad hoc, ut quis dicatur relatus ad finem intentum & consequatur fructum illius: ut constabit in eo, qui ex voto, aut poenitentia imposita à Confessario iter faceret ad visitandum corpus S. Iacobi Apostoli, ad quorum effectum satis est, quod habuerit à principio intentionem formalem, dummodo hæc perseveret virtualiter in toto itinere, ut revera perseverat, nisi formaliter retractetur: ergo similis ordinatio satis est ad meritum condignum vitae aeternae.

57. Supponendum est ultimum, gratiam principalis esse principium meriti per charitatem, quam per fidem, & alias virtutes. Ita communiter Theologi cum D. Thom. in praef. art. 4. contra Altihsidor. lib. 3. Summa tract. 16. cap. vnic. quaest. 1. Et probatur ratione Ang. Praecept. nam actus humanus habet rationem merendi (nempe ex divina ordinatione, & ex parte liberi arbitrii) in quantum homo agit per se propter finem; sed ex utroque capite gratia meretur principalis per charitatem: ergo Minor quoad primam partem probatur: nam actus charitatis principalis ordinatur ad vitam aeternam sicut in Deum ultimum finem, quia modo per illum ordinantur in illum actus aliarum virtutum: ergo ex parte ordinationis divinae principalis habet rationem meriti actus charitatis, quam actus ceterarum virtutum. Quoad secundam etiam ostenditur: nam ex parte liberi arbitrii ille actus est magis meritorius, qui est magis bonus, & voluntarius; sed actus charitatis est huiusmodi: nam id, quod amore facimus, maxime voluntarie facimus, & charitas est principium amandi Deum (de bonitate moralis non dubitamus) ergo etiam ex parte liberi arbitrii est magis meritorius. Adde: Nam propter quod unumquodque tale, & illud magis; sed ratione charitatis ceteri actus sunt meritorij, ut in hoc dubio late ostendimus; ergo ea est magis meritoria.

58. Confirmatur. Nam propterea gratia non esset principium meriti per charitatem, quia esset specialis virtus destinata ad merendum, si cui datur ad satisfaciendum; sed hoc est falsum. Tum quia id communiter asserunt Theologi, cum quibus etiam NN. Salmant. tract. 21. disp. 1. num. 252. Tum etiam, quia ratio meriti est ratio generalis actibus omnium virtutum, sicut actum bonum esse laudabilem, & actum malum esse vituperabilem & demeritorium. Tum insuper, quia hæc rationes sunt proprietates actus boni,

boni; & mali, ideoque non sunt obiecta specialis alicuius virtutis, aut vitij. Tum denique: quia ratio meriti, etiam si relictæ ametur, seu intendatur, non addit aliquam specialem difficultatem, aut bonitatem obiectivam, & propter oppositam rationem obedientia est virtus specialis, quamvis sit conditio generalis actibus omnium virtutum, & satisfactio perit etiam specialem virtutem, quamvis divagetur per actus ceterarum virtutum: pro quibus videndi sunt citati PP. Ergo. ¶ Quibus suppositis, circūstancie controversiam non minus vilem, quam gravem triplex militat sententia, duæ extremae, & tertia media.

59. Prima extrema docet, ad meritum de condigno vitae aeternae sufficere relationem habitualem, quam omnes actus boni moraliter sive naturales, sive supernaturales habent ad Deum ultimum finem. Pro qua referuntur Mag. Victoria, Vazquez, Becanus, Tortes, Meratius, & alij socij. Secunda extrema defendit, nullam actum sive naturalem, sive supernaturalem esse meritorium de condigno vitae aeternae, nisi præter ordinationem habitualem charitatis habeat insuper ordinationem virtutem illius. Ita perpetuo D. Thom. D. Bonav. Scotus, Durand. Lorea, & nobiliores Thomista, quos referunt, & sequuntur NN. Salmant. in praef. disp. 4. num. 5. & sere per totam illam disp. & alij plures, quos non referunt. Tertia, & ultima distinguit inter actus merè naturales, & supernaturales sive quoad substantiam, sive quoad modum, & asserit esse necessariam ordinationem virtutem ad actus prioris generis, sicut verò ad actus posterioris. Ita Medina in praef. in fine comment. Montes, Serra, Suarez, Oviedo, & alij. In qua controversia, ut cum maiori claritate procedamus, duas conclusiones statuemus, aliam pro actibus merè naturalibus, & alteram pro actibus supernaturalibus. Et ut a facilioribus incipiamus, proponitur prius assertio circa naturales. Quibus alias addemus pro maiori luce materiam.

S. II.

Prima assertio negativa circa actus merè naturales.

60. Dicendum est primo, quod sola ordinatio habitualis gratiae, & charitatis, seclusa omni ordinatione actuali supernaturali, non sufficit ad meritum condignum vitae aeternae in actibus naturalibus. Hac assertio proculdubio est D. Thom. in 2. dist. 38. quaest. 1. art. 1. ad 4. ubi docet non sufficere, quod aliquis tantum in habitu Deum, vel charitatem habeat, ut Deus, vel charitas sit finis alicuius actionis: ergo nec sufficit ad hoc, ut

sit meritoria. Patet consequentia: nam, ut ostensum est num. 55. ad meritum requiritur, quod opus fiat in obsequium praesentis, & non sit in obsequium Dei, si actu non est finis illius; alias posset dici, quod peccatum veniale sit in obsequium Dei, quod est blasphemum. Adhuc expressius loquitur dist. 40. quaest. vnic. art. 5. ad 6. his verbis: *Non sufficit omnino habitualis ordinatio actus in Deum: quia ex hoc quod est in habitu, nullus meretur, sed ex hoc quod actu operatur*: Ergo iuxta Div. Thom. opus naturale moraliter bonum non est meritorium per hoc praesic, quod quis habeat gratiam, & charitatem habitualem. Cuius mens magis constabit ex dicendis conclusione secunda.

Et probatur primò ex scriptura sacra: Nam nulla operatio est de condigno meritoria vitae aeternae, nisi sit ex fide: ergo, semota omni ordinatione actuali supernaturali, actus non potest esse meritorius vitae aeternae. Consequentia est optima. Et antecedens probatur ex illo ad Galat. 5. *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet: sed: fides, quae per charitatem operatur*: in quibus verbis non solum denotatur esse necessarium imperium fidei, sed etiam charitatis ad meritum condignum vitae aeternae.

Confirmatur hoc testimonium ex Trid. sess. 6. cap. 10. ubi ait: *Iustificati: per observationem mandatorum Dei, & Ecclesia in ipsa iustitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt, atque magis iustificantur*. Ubi in illis verbis, *fide cooperante bonis operibus*, satis declarat, concursum actualem fidei esse necessarium ad augmentum gratiae, & charitatis; sed nequit iustus in sanctitate crescere nisi per bona opera meritoria: ergo iuxta Concilium imperium fidei est necessarium ad meritum de condigno vitae aeternae.

Confirmatur secundò ex D. Thom. ad Hebraeos 11. lect. 2. Siquidem ad merendam vitam aeternam, oportet, quod ipsum meritum sit quidam motus, quo homo tendat ad vitam aeternam tanquam ad terminum ipsius meriti, & ad ipsum Deum ut finem supernaturalem; sed ad hoc necesse est, quod fide supernaturali credat, quod Deus est, & quod remunerator sit, ut ibi inquit Apost. his verbis: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*: ergo idem quod prius.

Item probatur ex illis verbis Christi Domini Matth. 5. *Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nomen & publicani hoc faciunt?* Ex quibus verbis sic arguuntur: Nam ad hoc ut dilectio naturalis amicorum sit meritoria vitae aeternae, opus est, quod sit christiana, & non similis dilectioni

amicorum, quam habent publicani, & peccatores; sed nequit esse dilectio christiana prout distincta à dilectione publicanorum, nisi quoad substantiam, vel quoad modum sit intrinsece supernaturalis: siquidem in publicanis, & peccatoribus dilectio naturalis amicorum, nisi depravetur aliquo inhoneste fine, etiam est bona moraliter: ergo opus naturale, seclusa omni ordinatione actuali supernaturali prout distincta ab habituali, nequit esse meritoria vite æternæ. *Urgetur hoc:* Nam sicut ad meritum hominis requiritur, quod operatio sit humana, & propria hominis, ut distinguitur à bruto saltem quoad modum operandi cum libertate, ita ad meritum vite æternæ opus est, quod actus procedat à iusto prout distincto à peccatore, & publicano; sed operatio partis sensitivæ, estò procedat ab homine, non est meritoria, nisi actualiter procedat à libero arbitrio, per quod distinguitur à bruto: ergo ut operatio bona moraliter sit meritoria vite æternæ, non sufficit, quod procedat à iusto, sed etiam requiritur, quod procedat ab eo ut iusto, hoc est, quod gratia actualiter influat in eam.

61. Deinde probatur ratione fundamentali: Nam actus naturalis bonus moraliter cum sola ordinatione habituali gratiæ, & charitatis, & seclusa omni alia ordinatione actuali supernaturali, est omnino improporcionatus cum vita æterna: ergo nequit esse de condigno meritorius vite æternæ. Consequentia est legitima: siquidem ad meritum de condigno vite æternæ debet dari proportio æqualis cum præmio, ut constat ex dictis dub. 1. Antecedens verò probatur: nam actus mere naturalis, & nullo modo intrinsece supernaturalis nequit esse proportionatus cum fine supernaturali, qualis est vita æterna; sed actus naturalis cum sola ordinatione habituali gratiæ, & charitatis, & seclusa quacumque alia ordinatione actuali supernaturali, est mere naturalis: ergo est improporcionatus vite æternæ. Maior supponitur ex fide, docente contra Pelagium hominem non posse viribus solius nature se disponere ad vitam æternam, & illam consequi, in quo supponitur actus mere naturales non esse proportionatos cum illa. Minor verò probatur: nam seclusa omni ordinatione actuali supernaturali, & stante sola ordinatione habituali gratiæ, & charitatis, omnis gratia supernaturalis manet otiosa, hoc est nulla gratia physice insuit in actum naturalem; sed implicat actum adhuc quoad modum supernaturalizari, secluso omni influxu actuali gratiæ supernaturalis, seu hæc manente otiosa: ergo cum sola ordinatione habituali gratiæ actus esset mere naturalis.

62. Respondebis, quod actus naturalis, licet non supernaturalizetur physice per solam ordinationem habitualem gratiæ, & charitatis,

supernaturalizatur tamen moraliter, & hoc sufficit, ut constitatur proportionatus cum vita æterna. Sicut opera naturalia Christi Domini ratione persone divinæ sunt supernaturalia moraliter, & significantur infinite, & constituantur proportionata non solum ad præmia supernaturalia, sed etiam ad præmium simpliciter infinitum.

Sed hæc evasio refellitur primò: Nam implicat operationem aliquam dignificari per gratiam adhuc moraliter, nisi habeat habitudinem aliquam intrinsecam ad ipsam gratiam; sed stante ordinatione sola habituali ipsius gratiæ, operatio nullam habitudinem intrinsecam dicit ad ipsam gratiam: ergo non dignificatur moraliter per gratiam, nec moraliter est supernaturalis. Maior videtur certa: nam, seclusa omni habitudine intrinseca ad gratiam, gratia imperpertinenter, & per accidens se habet ad talem operationem. Sicut, seclusa omni habitudine intrinseca operationis ad personam Christi, persona ipsius per accidens se habet ad illam condignificandam. Minor verò probatur: nam chimæricum est operationem importare habitudinem intrinsecam ad gratiam, si a gratia physice non procedit; sed, stante ordinatione sola habituali gratiæ, operatio verè physice non procedit ab ea: ergo nullam habitudinem intrinsecam dicit ad gratiam.

Secundò. Nam propterea operatio Christi dignificatur moraliter ab infinita eius persona, quia talis operatio verè physice procedit ab ea: operationes enim suppositorum sunt, & Christus nullam operationem potest elicere, quia utatur (ut sic dicamus) persona ipsius tanquam principio cuiusvis operationis; sed prædicta evasio supponit, operationem naturalem non procedere physice à gratia: ergo nequit ab ea moraliter condignificari.

Roboratur hoc: Nam habitibus nullus meretur, nisi prout eis utitur, ut perpetuò docet D. Thom. maximè in hac 1. 2. quæst. 53. art. 1. ad 3. in 4. dist. 49. quæst. 4. art. 4. quæstionc. 4. ad 3. & habitibus utimur, cum volumus, ut tenet vulgare axioma: econtrà verò nec Christus, nec alia persona potest elicere aliquam operationem, quin utatur ipsa persona ut principio illam efficiente: ergo quamvis persona divina possit dignificare moraliter opera naturalia in ordine ad præmia supernaturalia, saltem tamen est, quod gratia nullo modo influens possit condignificare moraliter ea.

Tertiò. Nam operatio venialiter peccaminosa, necnon actus in individuo indifferens habitualiter ordinatur in iusto per gratiam; sed nullus dicit dignificari moraliter, & hoc modo supernaturalizari: ergo ordinatio præcisè habitualis per gratiam insufficientis est ad condignificandam supernaturaliter moraliter opera bona moralia naturalia.

Quar-

Quarò (explicatur magis præcedens impugnatio:) Nam dato, & non concesso, operationem mere naturalem in iusto accipere aliquem valorem moralem à gratia; hic autem non sufficit ad hoc, ut illam constituat proportionatam cum vita æterna: ergo, nisi præsupponatur aliqua ordinatio intrinseca, & physica supernaturalis, manet talis operatio absolute improporcionata cum vita æterna. Antecedens constat in peccato veniali, & actu indifferenti hominis iusti. Et consequentia probatur: Ideo enim antecedens est verum, quia ultra valorem moralem gratiæ requiritur aliqua bonitas moralis desumpta ab objecto; secundum quod hic & nunc opus est consonum regulis morum: ergo etiam requiritur bonitas supernaturalis desumpta etiam ab objecto, & sine supernaturali. Probatur consequentia: nam petere ad meritum præmij utcumque non sufficit valor morale gratiæ, sed ulterius requiritur bonitas moralis: ergo ad meritum præmij supernaturalis ultra valorem extrinsecum gratiæ requiritur bonitas intrinseca physica supernaturalis.

Quintò. Ad meritum de condigno alicuius præmij, requiritur, quod fiat in obsequium præmiantis, & quod ordinetur à merente ordinatione actuali formali, aut virtuali ad præmium; sed sine influxu physico gratiæ habitualis, aut alterius doni supernaturalis nequit fieri in obsequium Dei, nec ordinari actualiter in vitam æternam: quia nequit cognosci Deus ut finis supernaturalis, nec vita æterna: ergo.

Sextò, & vltimò. Christus per opera pure naturalia, & sine gratia aliqua supernaturali nequit mereri de condigno præmium aliquod entitative supernaturalis: ergo nec purus homo cum ordinatione pure habituali gratiæ habitualis potest mereri de condigno vitam æternam. Antecedens supponitur in præsentem ex dictis tract. de gratia Christi. Consequentia verò probatur: Tum per falsitatem paritatis, cui maximè evasio fidebat. Tum etiam: quia si valor infinitus desumptus à persona debet necessario supponere valorem physicum naturalem, cur gratia non debet vel præstare, vel supponere prædictum valorem; cum altunde in Christo persona physice non sit otiosa in illa operatione, & gratia nihil physice operetur, ut supponit sententia contraria?

§. III.

Secunda assertio etiam negativa circa actus supernaturales.

63. Dicendum est secundò, influxum gratiæ habitualis media charitate in actus supernaturales esse simpliciter necessarium ad meritum vite æternæ, prout docet D. Thom. in præf. art. 4. ubi ait: *Meritum vite æternæ primo pertinet ad charitatem, ad alias virtutes secundario, secundum quod earum actus à charitate imperantur.* Et ad 3. ait: *Fidei actus non est meritorius, nisi fides dilectionem operetur, ut dicitur ad Galat. 5. Similiter actus patientiæ, & fortitudinis non est meritorius, nisi aliquis ex charitate hæc operetur.* Idem assertio pluribus alijs in locis in Tabula aurea verb. *Meritum* num. 53.

Et probatur primò ex loco citato ad Galatas: Nam actus fidei non est de condigno meritorius vite æternæ, nisi actualiter procedat à charitate: ergo idem dicendum est de actibus aliarum virtutum supernaturalium. Antecedens probatur primò ex ipsis verbis Apostoli dicentis quod in Christo nihil valet, nisi fides qua per charitatem operatur: ergo nisi actus fidei actualiter à charitate procedat, nequit esse meritorius. Secundo ex D. Aug. qui de fide, & operibus ait: *Aperitissime Scriptura testatur nihil prodesse fidem, nisi eam quam de finis Apostoli. id est quæ per dilectionem operatur.* Tertio ex D. Bernard. epist. 107. *Nec fides valet, si non operetur ex dilectione.* Quarò, & vltimò ex D. Thom. ubi supra: *Fidei actus non est meritorius, nisi fides dilectionem, operetur.*

Huic rationi ex tam evidentibus testimonijs formata potest responderi primò, per charitatem non intelligi dilectionem, aut charitatem, quæ est virtus theologica, sed aliam dilectionem veræ virtutis, & legis, prout à timore servili, quò aliquis legem adimplet, distinguitur. Ita Torres intendens probare hoc nonnullis testimonijs Div. Augusti, sed truncatis.

Secundo respondet Suarez, quod licet nomine dilectionis, & charitatis intelligatur theologalis, non verò ut eliciens, aut imperans actum secundum, sed præcisè ut radicans & fundans alias virtutes: & hæc tantum ratione in homine iusto omnes operationes supernaturales pertinent aliquo modo ad charitatem theologicam, & potest dici, hominem iustum operantem ex motivo supernaturali operari per charitatem, quia operatur iuxta regulas ipsius, & in ordine ad finem ipsi consentaneum.

Tertio, & vltimò potest responderi ex

Mmm Vaz

Vazquo, Apostolum, & SS. PP. loqui præcisè de dilectione, seu charitate habituali.

Sed prima evasio rejicitur: tum quia PP. & præcipue D. Thom. in præf. exponunt de charitate, quæ est virtus theologalis. Tum quia Suarez in præf. cap. 10. num. 10. & Vazquez 1. 2. disp. 210. cap. 6. etiam intelligunt de charitate theologica. Tum denique: quia amor virtutis, & iustitia procedit ex amore Dei, qui est actus charitatis theologalis: nam idem verè est velle Deo servire in omnibus, & implere totam legem, & voluntatem Dei, & non ex timore serviri, ac amare Deum super omnia ex charitate: & ita hic actus, *volo bonè vivere in omnibus*, ex intentione placendi Deo, est actus charitatis theologice, vt docent communiter Theologi: ergo in prædictis testimonijs Apostoli, & PP. sermo est de charitate theologica.

Secunda evasio adhuc efficacius rejicitur: tum quia verba Apoll. non possunt intelligi de charitate otiosa, seu non operante: nullatenus enim potest percipi, quòd fides per charitatem operetur, si ipsa charitas nihil operatur: sicut nequit intelligi, quòd intellectus per voluntatem operetur, voluntate nihil operante. Tum etiam: nam aliquem operari per alium importat essentialiter, quòd ille verè operetur: sed Apoll. dicit, quòd fides nihil valet, nisi operetur per charitatem: ergo nihil valet secundum Apostolum, nisi ipsa charitas operetur cum fide illum imperando. Tum denique, & simul exploditur sinistra illa intelligentia aliarum virtutum in charitate: nam fides, & spes, v. g. non radicantur physicè in charitate, itaut charitas prius dimanet à gratia, cum oppositum contingat: ergo solum radicantur moraliter in ea, in quantum ordinat eas ad vltimum finem, & ratione illius ordinationis constituuntur in ratione virtutum simpliciter: ergo dato, quòd textus Apoll. intelligatur de radicatione aliarum virtutum in charitate, debet charitas ipsa cum ipso operari.

Per quod rejicitur tertia expositio: Siquidem fides iuxta Apoll. per charitatem debet operari, vt sit meritoria: sed nequit per charitatem operari, si charitas remaneat præcisè in ratione habitus, & non reducatur ad actum: ergo nequit intelligi de charitate præcisè habituali. Adde: nam aia translatio, qua vtuntur in his verbis Chrysof. Aug. & D. Thom. in præf. & in alijs Apoll. verbis eiusdem capituli Ambrosius, & alij PP. dicitur, *sed fides, quæ per dilectionem operatur*: ergo minus rectè exponitur Apoll. de sola charitate habituali.

65. Probatur secundo ratione fundamentali, deducta ex D. Thom. in præf. & insinuata num. 57. quæ potest redigi ad hanc formam: Quia nullum opus nostrum potest habere vim de condigno meritoriam vitæ æternæ, nisi ordinetur

in obsequium Dei præmiantis tanquam in finem operis, & operantis; sed si opera nostra supernaturalia procederent à gratia, & non à charitate, non possent ordinari in obsequium Dei præmiantis tanquam ad finem operis, nec operantis: ergo influxus gratiæ mediâ charitate indispensabilius requiritur ad meritum condignum vitæ æternæ. Consequencia est legitima. Et minor est certa, quia sola charitas habet pro obiecto Deum vt vltimum finem, & nulla virtus potest attingere obiectum alterius nisi ex imperio illius. Maior vero probatur ex dictis num. 55. nam nullus meretur de condigno apud aliquem, itaut hic debeat illi premiari ex iustitia, nisi ordinetur suum opus in eius obsequium, & utilitatem: & ita licet quis eliciat plures operationes alias bonas, non meretur apud Petrum, si illas non elicit propter illum, nec ordinat in utilitatem illius: pariter ergo, licet nullum opus nostrum possit Deo asserre aliquam utilitatem; debet tamen ordinari ad gloriam Dei, quo pacto est in obsequium illius, & tanquam in vltimum finem, vt sit meritoria de condigno apud ipsum.

66. Duplici via potest occurrere huic fundamento. Primò, satis esse ad meritum condignum vitæ æternæ, quòd habitualiter sit in obsequium Dei. Secundò, sufficere ad prædictum meritum, quòd ex parte operis ordinetur virtualiter in Deum vltimum finem, quo pacto ordinantur obiecta omnia supernaturalia, quia sunt fines intermedij ad illum ex sua natura ordinati.

Sed neutra via dehincit vis supra dictæ rationis. Non prima: tum quia actus naturales boni moraliter in homine iusto, necnon actus indifferens sunt habitualiter in obsequium Dei, quatenus habitualiter ordinantur ad ipsum tanquam ad vltimum finem; & tamen de nullo ex istis actibus fatentur adversarij, contra quos agimus, quòd sit meritorius vitæ æternæ: ergo relatio habitualis actuum supernaturalium in Deum vltimum finem non sufficit ad hoc, vt fiat meritorij vitæ æternæ. Tum etiam: nam demus, quòd aliquis sit in amicitia habituali respectu alterius, non sufficit ad meritum condignum apud ipsum, quòd eliciat opera alias honesta, sed insuper requiritur, quòd cedant in obsequium, & utilitatem illius, & quòd sine ex intentione operantis, & non per accidens, & præter intentionem: ergo pariter, vt homo mereatur apud Deum, non sufficit, quòd operans sit in eius amicitia habituali, sed vterius requiritur, quòd opus fiat in obsequium ipsius, & ex hac intentione procedat. Quinimò peccatum etiam veniale ordinatur habitualiter in iusto ad Deum tanquam vltimum finem, vt insinuavimus num. 54. & nullus dicit, esse meritorium vitæ æternæ.

Nec secunda: Tum quia obiectum superna-

tu-

turale esse indifferens ad hoc, vt ordinetur ad Deum vltimum finem, & ad vltimum finem peccatoris: ergo falsum est, quòd virtualiter ordinetur ad Deum vltimum finem. *Tunc etiam*: Nam si virtualiter ordinaretur ad Deum vltimum finem, actus tendens ad tale obiectum ex natura sua haberet bonitatem charitatis, & sic in peccatore illam haberet, quia ordinatio virtualis ad obiectum alicuius virtutis tanquam ad finem sufficiens est in omnium sententia ad hoc, vt actus habeat bonitatem illius: sed falsum est, prædictum actum habere ex natura sua bonitatem charitatis, vt liquet in peccatore: ergo idem quod prius. *Tum denique*: Nam dato, & non concessio, quòd obiectum supernaturale ex natura sua ordinetur virtualiter ad Deum tanquam ad vltimum finem, talis ordinatio est deficiens, imperfecta, & non omnimodè, sed remote proportionata cum vitæ æternæ; sed huiusmodi proportio ita deficiens non sufficit ad meritum condignum vitæ æternæ, vtpote hæc illam superexcedens: ergo.

67. Probatur tertio ratione: Nam actus fidei v. g. si non imperetur actualiter à charitate, etio procederet physicè à gratia, non esset sufficienter proportionatus cum vitæ æternæ, ergo independenter ab imperio sive formali, siue virtuali charitatis nullus actus supernaturalis est de condigno meritorius vitæ æternæ. Consequencia constat: nam si non est sufficienter proportionatus, nec habet æqualem valorem: & si non habet æqualem valorem cum vitæ æternæ, non potest illam de condigno mereri. Et antecedens probatur: nam actus fidei, estio physicè procedat à gratia, non est medium proximum ad vitam æternam, vt loquuntur PP. sed medium remotum ex natura sua respectu alicuius finis non est sufficienter proportionatum cum tali fine: ergo si actus fidei non imperatur saltem virtualiter à charitate, non est sufficienter proportionatus cum vitæ æternæ. Unde D. Thom. quæst. 26. de Verit. art. 6. ita ait: *Isti autem non sunt condigni, quasi pretium respectu vitæ æternæ, nisi secundum quòd sunt gratia, & charitate informati.*

Respondetis forsân, quòd actus fidei, prout procedit à gratia, redditur sufficienter proportionatus cum vitæ æternæ: quia actus charitatis, qui secundum se non esset proportionatus cum illa, fit à gratia non procederet, vt vidimus ex D. Thom. num. 47. procedens à gratia redditur proportionatus cum illa.

Sed contra est. Nam in actu charitatis tria considerata sunt, nempe præsuppositio personæ idoneæ ad meritum per gratiam, cuius idoneitas præcincit ab influxu physico ipsius gratiæ, de qua loquuti sumus dub. præc. tanquam de vna ex conditionibus necessarijs ad meritum: aliud est influxus physicus gratiæ in eum, prout est generalis actibus aliarum virtutum.

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

tutum: aliud tandem est influxus ipsius charitatis, qui indispensabiliter asserit in nostra sententia influxum gratiæ; sed influxus quicumque gratiæ non sufficit ad condignitatem actus cum vitæ æternæ, sed vterius requiritur influxus specialis illius mediâ charitate: ergo nec sufficit ad meritum condignum vitæ æternæ. Minor probatur: nam influxus ille gratiæ insufficientis est ad condignitatem actus cum vitæ æternæ, qui nequit attingere ratione sui finem principalem ipsius gratiæ, qui est vnio immediata per visionem, & fructiorem cum summo bono prout summum bonum est in se; sed, præcisio influxus charitatis; gratia nequit attingere prædictum finem, sicut nec Deum prout est summum bonum in se, quia hoc modo est obiectum specificativum charitatis, & nullius alterius virtutis: ergo sine influxu charitatis nullus alter influxus gratiæ est sufficiens ad condignitatem actus cum vitæ æternæ.

§. IV.

Affertio tertia ad maiorem confirmationem præcedentium.

68. Dicendum est tertio, totam rationem formalem merendi vitam æternam esse charitatem; materiam verò, in qua exercetur meritum de condigno vitæ æternæ, non esse solum actum charitatis, sed etiam actum aliarum virtutum. Hæc fuit perpetua mens SS. PP. & D. Thomæ, vt potest videri in Tabula aurea num. 54.

Quoad primam partem probatur primò ratione: Nam illa est ratio tota formalis merendi vitam æternam, quæ est tota ratio formalis condignificandi opera meritoria cum vitæ æternæ; sed huiusmodi est charitas: ergo charitas est tota ratio formalis merendi vitam æternam. Minor probatur: nam tota ratio formalis condignificandi opera meritoria cum vitæ æternæ est ordinatio, seu relatio saltem virtualis in Deum vltimum finem; sed huiusmodi relatio est à sola charitate, vel ab aliquo eius participio, vt supponimus: ergo charitas est tota ratio formalis condignificandi opera meritoria cum vitæ æternæ.

In qua ratione, simulque conclusione, vt nonnulla æquivocatio tollatur, notandum est solum esse fermonem de merito in actu primo, quo pacto importat valorem intrinsecum, & æqualem cum præmio. Si verò esset sermo de merito in actu secundo, prout defecto inducit ius ad præmium, non dubitamus esse necessarium pactum extrinsecum Dei, sed prædictum pactum tantum se habet per modum conditionis. Unde ex nullo capite obstat principali intentioni conclusionis.

Probatur secundo ratione: Nam illa est

Mmm 2

torq

tota ratio formalis merendi premium essentiali, seu vitam aeternam, quae est ratio formalis constituendi actus aliarum virtutum bonos simpliciter, & viles ad vitam aeternam; sed charitas vel formalis, vel virtualis est ratio formalis constituendi actus aliarum virtutum bonos simpliciter, & viles ad vitam aeternam: ergo est tota ratio formalis merendi vitam aeternam. Minor probatur: tum quia iuxta SS. PP. nullus actus est bonus simpliciter, nisi procedat ex charitate. Tum etiam: nam actus bonus simpliciter constituitur per hoc, quod ordinatur ad bonum simpliciter, qualis est Deus, & vita aeterna; sed hoc participat à charitate, quae Deum ultimum finem respicit vel obiectum speciale: ergo est tota ratio formalis constituendi ceteros actus virtutum bonos simpliciter, & viles ad vitam aeternam.

Adde: Nam fides, & spes theologica, quae praeminent virtutibus moralibus perse infusus, necnon donis Spiritus-sancti, non sunt virtutes simpliciter nisi ratione charitatis: ergo nec actus earum sunt boni simpliciter nisi ratione illius, ac proinde nec viles, aut meritorij vitae aeternae. Antecedens probatur: tum quia fides, & spes secundum sua essentialia possunt esse in peccatoribus; sed in peccatoribus nequit esse aliqua virtus simpliciter (pro quo videndus est D. Thom. supra quæst. 65. art. 2. & 4.) ergo non sunt virtutes simpliciter sine charitate. Tum etiam: nam licet fides, & spes Deum respiciant immediate, sicut & charitas, fides tamen solum respicit sub ratione summi veri, spes sub ratione boni solum sperati, charitas verò sub ratione summi boni in se, seu sub ratione ultimi finis; sed nulla virtus est simpliciter talis, nisi quae ducit ad Deum sub ratione ultimi finis: ergo non sunt virtutes simpliciter nisi ratione charitatis. Unde quamvis dicantur virtutes simpliciter comparative ad virtutes naturales, sicut omnes virtutes perse infusa; prout conduunt tamen ad ultimum finem, dicendae sunt tales secundum quid, nisi informantur à charitate, quia sine eius informatione sunt imperfectae in ratione virtutum, vt docet D. Thom. loco citato. Quam rationem, & additamentum confirmat D. Thom. de Veritat. quæst. 14. art. 6. ad 5. vbi ait, quod nullus habitus est virtus secundum Theologos, nisi prout est principium actus meritorij.

Secunda pars nostrae conclusionis facile ostenditur: Nam illa est materia ad meritum vitae aeternae, in qua potest introduci forma charitatis, seu relatio in Deum ultimum finem; sed nullus est actus virtutis, in quo non possit introduci praedicta relatio: ergo omnes actus aliarum virtutum sunt materia merendi de condigno vitam aeternam. Maior patet. Et minor probatur: quia nullus est actus virtuosus, qui non

possit imperari vel formaliter, vel virtualiter à charitate, hoc est vel ab actu charitatis tunc existenti, vel praexistenti, & duranti virtualiter in suo imperio. Quinimo actus ex specie indifferens potest his modis imperari à charitate: & hoc supponit Apolt. 1. ad Corinth. 13. ab illis verbis, *Si linguis hominum loquar*. Hoc etiam supponit Christus Dominus in illis verbis, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, quae per vniuersas virtutes diuagantur. Quid enim vetat, vt quis propter Deum summè dilectum oret, peniteat, modeste ambulet, obediat, & eat in campum? ergo nullus est actus virtuosus, in quo non possit introduci relatio charitatis.

§. V.

Affertio vltima applicatiua totius doctrinae praecedentis.

69 **D**icendum est vltimò, hominem iustum per omnes suos actus bonos moraliter mereri de condigno vitam aeternam, siue praecesserit, siue non praecesserit actus formalis charitatis. Hæc assertio, quæ est communior inter Theologos, quos referunt, & sequuntur NN. Salm. in præf. disp. 4. dub. 5. & 6. procedit contra plures Auctores ab ipsis relatos. Ex quibus alij docent, actum formalem charitatis in principio iustificationis habitum non esse sufficientem ad referendum omnes actus totius vitae in Deum vltimum finem: ex quo inferunt non esse condignè meritorios vitae aeternae. Alij, etiam concedunt omnes actus bonos moraliter ordinari in Deum vltimum finem, si aliquis actus charitatis praecedat, secus verò si non praecedat: vt contingit in eo, qui iustificatur in sacramento cum sola attritione.

Affertio verò nostra suadetur primò ratione, & autoritate: Nam defectò, & iuxta praesentem providentiam omnis ille actus est de condigno meritorius vitae aeternae, qui formaliter, vel virtualiter ordinatur ad Deum vltimum finem per charitatem; sed omnis actus bonus moraliter hominis iusti, siue praecesserit actus formalis charitatis, siue non praecesserit, ordinatur per charitatem saltem virtualiter ad Deum vltimum finem: ergo nullus est actus bonus moraliter in iusto, qui non sit condignè meritorius vitae aeternae. Maior ex hucusque dictis manet certa. Et minor quoad vtramque partem probatur ex D. Thom. in 2. dist. 40. quæst. 1. art. 5. vbi docet omnem actum bonum moraliter in habente gratiam esse meritorium, quia charitas imperat omnibus virtutibus, sicut voluntas omnibus potentij. Ex quo concludit: *Et sic comedere, & bibere, seruato modo temperantia, & ludere ad recreationem, serua-*

eo ordine Eutropelia: :: meritorium erit in eo, qui charitatem habet, quia Deum vltimum finem vitam suam constituit: ergo iuxta D. Thom. in homine iuxta omnis actus bonus moraliter ordinatur saltem virtualiter per charitatem in Deum vltimum finem: ex quo inferret esse meritorium (& nos inferimus) de condigno vitæ aeternae, propter dicta in hoc dubio.

70 Deinde quoad primam partem, scilicet quod si actus charitatis praecedat, v. g. in primo instanti iustificationis, omnis actus bonus moraliter ordinatur virtualiter ad Deum vltimum finem, suadetur: Nam talis actus, dum existit, habet efficaciam ad ordinandum actualiter totum hominem in Deum vltimum finem: ergo dum perseverat virtualiter, etiam illum ordinat virtualiter ad talem finem. Sed talis actus perseverat virtualiter, dum non retractatur per peccatum mortale: ergo si actus charitatis praecedat, omnes actus boni moraliter ordinantur saltem virtualiter ad Deum vltimum finem. Minor subsumpta suadetur: nam intentio efficax vltimi finis perseverat virtualiter toto tempore, quo ponuntur media conducentia ad talem finem; sed omnes actus boni moraliter sunt media conducentia ad Deum vltimum finem, pertinentque ad executionem actus charitatis, quo iustus in instanti iustificationis se, & omnia sua ordinavit in talem finem, neque dici potest esse absque positione talium mediorum: ergo actus charitatis, qui praecessit in primo instanti iustificationis, perseverat virtualiter, usque dum retractatur per peccatum mortale. Unde D. Thom. supra quæst. 1. art. 6. ad 3. inquit: *Virtus prima intentionis, quae est respectu vltimi finis, manet in quolibet appetitu cuiuscumque rei, etiamsi de vltimo fine actu non cogitetur: sicut non oportet, quod qui vadit per viam, in quolibet passu cogitet de fine.*

71 Nec refert, si dicas hoc verum esse, si ex vi primae intentionis continuo, & absque interruptione ponantur media conducentia ad talem finem vltimum. At multoties contingit, quod non solum non ponuntur huiusmodi media, vt dum quis est in somno, sed etiam ponuntur media non conducentia ad talem finem, qualia sunt plura peccata venialia, quibus septies cadit iustus. Et tunc nequit non illa prima intentio interrumpi, & censeri moraliter retractata. Ut contingeret in eo, qui haberet intentionem administrandi sacramenta, & diu, idest saltem per vnam horam, ludo, vel somno se traderet.

Non, inquam, refert: tum quia adhuc iuxta aduersarios intentio vltimi finis, scilicet amor Dei finis supernaturalis super omnia, censetur permanere virtualiter, etiam continuò non ponantur media conducentia ad Deum vltimum

finem. Et ita quidam sunt, qui ad eius interruptionem moralem requirunt vnam integram horam, alij integram diem, alij vnam hebdomadam, alij vnum mensem, alij integram annum, & nullus est, qui iudicet ordinationem illius cessare per hoc praecise, quod cesset talis actus, qui citò in se transit, & non ponatur statim aliquis actus ad talem finem conducentis; sed est moraliter impossibile, quòd iustus saltem per totum annum, imò per vnum mensem, & adhuc per hebdomadam non eliciat aliquem actum bonum moraliter, & aliunde non est ratio, cur non possit perseverare virtualiter per duas horas, si potest per vnam, & per vnum diem, si per duas horas; & per hebdomadam, si per totum diem, & sic de toto anno, & per totam vitam: ergo si praecessit actus charitatis in instanti iustificationis, virtualiter perseverat toto tempore illius, etsi aliis non eliciatur. ¶ *Tum etiam:* Nam dum quis arripit longum iter ad implendum votum, v. g. ad visitandum corpus B. Iacobi Apolt. durans per vnum annum, illa prima intentio perseverat virtualiter toto tempore itineris, tametsi in via somno se tradat, ludat, aut aliud negotium peragat non conducentis ad finem praelectum: ergo potiori titulo hoc dicendum est de amore Dei super omnia, etiamsi iustus non continuo eliciat opera moraliter bona, sed somno se committat, & septies cadat in die in peccata venialia. Probatur consequentia: ideo antecedens est verum; quia ex vi praedictae intentionis constitutus est iam talis homo in via ad talem finem, & hic continuò saltem virtualiter illum trahit; atqui iustus per actum formalem charitatis constituitur formaliter (vt sic dicamus) in via ad Deum vltimum finem; & talis amor efficacior est ad convertendum totum hominem in praedictum finem: ergo manet virtualiter toto tempore iustificationis. Consequenter ad hæc D. Thom. loco supra relato ex libro Sent. hæc ait: *Nec tamen oportet, quod intentio actualis ordinans in finem vltimum sit semper coniuncta cuilibet actioni, quae dirigitur in aliquem finem proximum, sed sufficit, quod aliquando actualiter omnes illi fines in finem vltimum referantur: sicut fit, quando aliquis cogitat se totum ad Dei dilectionem dirigere: tunc enim quicquid ad seipsum ordinat, in Deum ordinatum erit.*

Tum denique: Nam amor Dei super omnia est ita efficax, vt ratione illius homo se, & omnia sua ordinet ad Deum vltimum finem; atqui nequit homo manere sic ordinatus, quin omnes eius actus boni moraliter ordinentur virtualiter in Deum vltimum finem: ergo. Minor probatur: nam homo, transacto actu charitatis, non maneret sic ordinatus nisi ratione alicuius virtutis ab eo relictae in omnibus potentij, & virtutibus: vitia enim, & peccata in-

capacia sunt talis virtutis, vtpote non conducentia ad talem finem; sed nequeunt potentia, & virtutes manere informatae praedicta virtute charitatis, quin omnes actus boni moraliter ab eis procedentes ordinentur virtualiter in Deum vltimum finem: ergo si homo ratione actus charitatis ordinat se, & omnia sua ad Deum vltimum finem, & transacto actu charitatis manet sic ordinatus, opus est, quod omnes actus boni moraliter ordinentur virtualiter in Deum vltimum finem. Maior est certa: nam homo non manet ordinatus ad aliquem finem particularem, nisi illo tempore quo datur virtus primae intentionis: & licet hoc non interveniat in prima intentione, qua homo primo se convertit ad bonum proprium tanquam ad vltimum finem peccatoris, hoc ideo est, quia praedicta intentio perse non constituit vltimum finem, sed praecise inquantum ponit impedimentum peccati, & quia natura, & omnes suae potentiae ex se sunt determinatae ad praedictum bonum. Minor vero probatur: nam eo ipso, quod potentia, & virtutes manent informatae praedicta virtute, non possunt exire in suos actus, nisi talis virtus cum eis simul insuat in actus capaces influxus illius: est enim velut forma virtutum, & potentiarum, ratione cuius tam in essendo, quam operando manent vivificate; sed talis virtus nequit influere in actus, quin virtualiter ordinentur in Deum vltimum finem, vt ex se liquet: ergo nequeunt potentia, & virtutes manere informatae virtute charitatis, quin actus illarum boni moraliter ordinentur in Deum vltimum finem virtualiter.

72 Ex dictis suadet minor primi syllogismi adducti num. 69. quoad secundam partem: Nam esse non praecesserit in instanti iustificationis actus formalis charitatis, omnes virtutes sive naturales, sive supernaturales manent vivae, & formatae per charitatem, idemque dicendum est de potentijs subiectis dominio voluntatis: ergo omnes actus ab eis procedentes, & conducentes ad Deum vltimum finem ordinantur virtualiter ad praedictum finem. Antecedens potius debet supponi, quam probari: quia omnes virtutes in iusto sunt perfectae virtutes, quarum perfectio pendet essentialiter a formatione intrinseca charitatis. Consequentia vero probatur: tum quia post emissum actum charitatis propterea omnes actus boni moraliter ordinantur virtualiter ad Deum vltimum finem, quia procedunt a virtutibus, seu potentijs formatis per charitatem. Tum etiam: quia si virtus est formata per aliquam virtutem, seu participium charitatis, debet influere in suum actum vt formata, & non praecise secundum se; sed non fiat hoc modo influere, & actum non ordinari virtualiter in Deum vltimum finem: ergo si virtutes sunt formatae, actus illarum debent ordinari virtualiter ad Deum vltimum finem.

Ahaec: Nam incredibile est hominem iustum elicere plures actus bonos moraliter, & recipere gloriam more parvulorum per modum solius hereditatis; sed hoc non raro contingeret, si praedicta virtutes non elicerent suos actus intrinsece formatos per charitatem, & relatos virtualiter ad Deum vltimum finem: ergo.

73 Probat secundò ratione conclusio quoad secundam partem: Quia homo tenetur ex praecpto charitatis ordinare se, & omnia sua saltem virtualiter in Deum vltimum finem; sed hoc praecptum iuxta communem Theologorum sententiam adimplet quis per hoc praecise, quod iustificetur, sive in instanti iustificationis eliciat actum formalem charitatis, sive non eliciat: ergo signum est, quod omnia conducentia ad Deum vltimum finem ordinantur ad ipsam virtualiter, si homo est in gratia, & charitate; constat autem nihil aliud requiri ad hoc, vt actus boni moraliter sint condigne meritorij vitae aeternae: ergo omnes actus boni moraliter in iusto sunt condigne meritorij vitae aeternae, sive eliciat actum formalem charitatis, sive non eliciat. Omnia constant praeter maiorem, quae probatur ex illis verbis Apostoli. 1. ad Corinth. 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Quae verba exponens D. Thom. supra quaest. 100. art. 10. ad 2. sic ait: *Sub praecpto charitatis continetur, vt diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet, vt omnia referantur in Deum: & ideo praecptum charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum.* Eodem modo exponit illud praecptum Deuteronom. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* 2. 2. quaest. 44. art. 4. his verbis: *Deus autem est diligendus sicut finis vltimus, ad quem omnia sunt referenda.*

74 Sed contra hanc rationem obijcies primo ex D. Thom. loco primo citato in argum. *Sed contra, vbi ait: Quicumque non servat praecptum, peccat mortaliter: si igitur modus charitatis cadat sub praecpto, sequitur, quod quicumque operatur aliquid, & non ex charitate, peccat mortaliter: sed quicumque non habet charitatem, operatur non ex charitate: ergo sequitur, quod quicumque non habet charitatem, peccat mortaliter in omni opere, quod facit, quantumcumque sit de genere bonorum: quod est inconveniens.*

Secundò etiam ex D. Thom. loco posteriori allegato, vbi secundum argumentum sibi opponit in hanc formam: *Totum & perfectum est, cui nihil deest, vt dicitur 3. Physic. si ergo in praecpto cadit, quod Deus ex toto corde diligatur, quicumque facit aliquid, quod non pertinet ad Dei dilectionem, agit contra praecptum, & per consequens peccat mortaliter;* sed

sed peccatum veniale non pertinet ad Dei dilectionem: ergo peccatum veniale erit mortale: quod est inconveniens. Ad quod respondet: *Dicendum, quod dupliciter contingit ex toto corde Deum diligere: vna quidem modo in actu, id est vt totum cor hominis semper actualiter in Deum feratur: & ita est perfectio patriae. Alio modo, vt habitualiter totum cor hominis in Deum feratur, ita scilicet quod nihil contra Dei dilectionem cor hominis recipiat: & haec est perfectio viae, cui non contrariatur peccatum veniale: Ergo huiusmodi praecptum non obligat ad relationem virtutalem, sed tantum ad habitualementem.*

Ad primam obiectionem responderetur cum D. Thom. loco in ea allegato ad 2. vbi tenet, quod cum praecptum referendi omnia virtualiter in Deum fit affirmativum, non obligat ad semper, sed tantum dum homo tenetur ad iustificationem, vt satis insinuat in corp. artic. & propterea peccator potest adimplere alia praecpta, & operari bene moraliter, tamen si suos actus non ordinet virtualiter, immo nec habitualiter ad Deum vltimum finem. ¶ Pro quo nota, huiusmodi praecptum solum obligare ad ponendam causam praedictae relationis, & quando insit praecptum ponendi actum formalem charitatis, sicut in nostra sententia insit in primo instanti vsus rationis. Quocirca si homo in primo instanti vsus rationis elicit actum formalem charitatis, & in alijs temporibus adimplet praecptum se iustificandi, revera etiam adimplet praecptum ab Apostolo intimatum, quia quolibet ex praedictis modis ponit causam referendi omnia virtualiter in Deum. Et cum homo non teneatur semper praecpto positivo ad se iustificandum, vel ad eliciendum actum formalem charitatis, quinimò dum operatur bene moraliter, elicit aliquid conducens quodammodo ad iustificationem, inde est, quod peccator operans bene moraliter non peccat contra huiusmodi praecptum, sicut nec contra praecptum se iustificandi.

Ad secundam responderetur, aliud esse, quod iustus peccans venialiter non frangat graviter praecptum illud per peccatum veniale; aliud vero quod positive illud adimpleat per relationem pure habitualementem ad Deum vltimum finem. Primum est verum, quia praedictum praecptum primo, & perse tantum obligat ad ponendam causam, seu radicem relationis virtutalis in Deum, sed quia ad hanc necessario sequitur informatio omnium virtutum per charitatem, ex consequenti praecipit relationem virtutalem: & ideo solum frangit graviter hoc praecptum, qui non ponit causam, dum debet, vel tollit praedictam causam, vt dum quis graviter peccat: leviter vero, dum leviter peccat contra praedictam causam, & hoc modo contra praedictum praecptum peccat iustus peccans

venialiter. Ideoque falsum est, quod iustus illud adimpleat per peccatum, aut per relationem in Deum mere habitualementem. Et quod relatio virtualis necessaria sit ad positive implendum praedictum praecptum, constat expresse ex Div. Thom. quaest. 2. de Verit. art. 11. ad 2. & 3. vbi omnino videri debet.

§. VI.

Argumenta contra primam, & secundam assertionem.

75 **A**Dversus primam nostram assertionem nobis obijcit Vazquez plura Scripturae testimonia, ex quibus nonnulla primo aspectu difficiliora proponemus. Primum est illud Marth. 25. *Venit benedicti Patris mei percipite regnum: esurivi enim, & dedistis mihi manducare &c.* vbi vita aeterna conferitur non solum pro actibus charitatis, sed etiam pro actibus aliarum virtutum adhuc naturalium. Secundum est illud Marc. 3. *Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, & soror, & mater est;* sed iustus servans legem Dei ex solo fine ipsius legis, & aliarum virtutum, vere facit voluntatem Dei: ergo promittit Christus tanquam praemium, quod sit eius frater, soror, & mater, proindeque promittit ei praemium fratris, sororis, & matris Christi, quod proculdubio est vita aeterna. Tertium est illud Marth. 10. *Quicumque potum dederit uni ex minimis meis calicem aquae frigidae tantum in nomine discipuli: non perdet mercedem suam.* Quartum est illud 1. ad Corinth. 15. *Stabiles estote: abundantes in opere Domini semper, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino.* In quibus testimonijs nulla fit mentio dilectionis per charitatem: ergo iuxta Script. ad meritum vitae aeternae sufficit, quod iustus eliciat opera aliarum virtutum adhuc naturalium, & non requiritur relatio virtualis per charitatem.

Et confirmatur ex Trident. sess. 6. cap. 10. & cap. 16. & can. 23. in quibus locis Concilium adamusim declarans condiciones exactas ad meritum vitae aeternae, nullam mentionem facit relationis formalis, aut virtualis charitatis, sed solum declarat requiri, quod opus sit bonum, & factum a iusto per gratiam Christi.

Confirmatur secundò ex D. Thom. qui pluribus in locis inquit, ad meritum vitae aeternae sufficere relationem habitualementem charitatis.

Ad argument. responderetur, in omnibus illis testimonijs aliquid importari, per quod denotatur opus misericordiae, & alia similia debere fieri ex relatione saltem virtuali in Deum per charitatem, vt illa legenti cum non modica

flexione, constabit. Nam in primo testimonio habentur illa verba: *Quandiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*: in quibus innuitur dare elemosynam pauperi cum respectu ad Christum esse meritum vite aeternae, quia est idem, ac ipsam dare ipsi Christo. Et propterea Calet. ibi ait: *Non dicit, quandiu fecistis uni pauperi, quia benefacere huic pauperi officium est misericordiae naturalis commune fidelibus, & infidelibus; sed benefacere fratri Iesu Christi officium est christiana misericordiae, quae in pauperibus Christum considerat, & propter Christum exercet haec opera.*

Idem habetur in secundo testimonio: Nam dupliciter potest quis facere voluntatem Dei, nempe secundum quid, & quantum ad substantiam operis; & simpliciter, & quantum ad modum, referendo scilicet virtualiter per relationem charitatis in Deum: nam voluntas Dei est, quod omnia in charitate, & in gloriam Dei fiant. Et hic modus requiritur, ut iustus mereatur vitam aeternam, sicut requiritur, ut operetur ut soror, frater, & mater Christi.

Idem apparet in tertio testimonio: Nam illa verba in nomine discipuli, sicut & alia similia, videlicet in nomine *Prophetae, iusti, & Christi*, denotant non solum motivum religionis, pietatis, aut misericordiae, sed etiam motivum charitatis, ut exponunt plures Patres, & Expositores: nam important amorem Prophetae, iusti, & iusti propter Christum tanquam propter finem cuius gratia. Eodem modo exponendum est vltimum testimonium ratione illius clausulae in opere *Domini*: nam opus Domini idem sonat, ac opus factum in obsequium Dei, in quo includitur relatio charitatis in Deum.

Ad confirmationem respondetur, quod Trident. apud intelligentes terminos Theologiae fatiis expressit esse necessarium ad meritum vite aeternae imperium charitatis. Patres enim Concilij loquuntur non ut Philosophi tantum, sed etiam ut Theologi; & apud Theologos non est opus bonum simpliciter, seu virtutis simpliciter talis, quod non ordinatur scilicet virtualiter ad finem charitatis, quem tantum considerat Theologus. ¶ Adde, Concilium cap. 16. loqui de illis operibus bonis, *quae in Deo sunt facta, & illa particula in*, non solum denotat habitudinem causae efficientis, id est quod opera fiant per auxilium, & virtutem Dei, sed etiam respectum ad Deum tanquam ad causam finalem, ut D. Thom. ad Rom. 11. lect. 5. explicans illa verba *quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*, bene advertit.

Ad secundam confirmationem respondetur, apud antiquos Theologos esse valde vltimum sub relatione habituali comprehendere re-

lationem etiam virtualem, prout illam distinguunt à relatione actuali formali: ideoque non mirum, si aliquando D. Thom. eos imitatus est, mentionem faciens ad aliquem effectum relationis habitualis, quando opus est relationis virtualis: nec iuxta haec est mirum, si aliquando ad meritum vite aeternae recurrit praecise ad relationem habitualement charitatis: à qua non excludit relationem virtualem illius. Cuius signum est, quod, dum has relationes magis specificat, expressè docet non sufficere relationem habitualement charitatis, sed etiam esse necessariam virtualem: ut videri potest, & debet non solum in locis num. 60. relatis, sed etiam quilibet. 2. de Verit. art. 11. ad 1. & 3. argument. Secundò arguit Vazquez ab inconvenientibus. Sed haec praecipua manent in tertia, & quarta assertionem.

76 Arguitur secundò cum Suario pro actibus supernaturalibus: Nam ille actus est vite aeternae meritorius de condigno, qui ex vna parte supponit idoneitatem ex parte personae merentis per gratiam, & ex alia habet proportionem ex se cum vita aeterna; sed actus supernaturalis hominis iusti est huiusmodi independentem ab imperio charitatis: ergo independentem ab illo est condignè meritorius vite aeternae. Minor probatur primò: nam huiusmodi actus in homine iusto, est non daretur imperium charitatis, procederet à gratia: est enim universalis natura in linea supernaturali, à qua effectivè debent procedere conaturaliter loquendo actus omnes supernaturales: & sicut virtutes supernaturales in sui dimanatione ab ea non pendunt à charitate, sed ad summum quoad earum formationem per charitatem; ita actus earum quoad substantiam physicè possunt procedere ab ea independentem à charitate; sed actus supernaturales, per hoc praecise quod procedant à gratia, sunt sufficienter proportionati cum vita aeterna: nam eius influxus sufficiens est ad illa condignificanda, sicut condignificat actum charitatis, qui si per possibile, vel impossibile non procederet à gratia, non esset intrinsecè condignus vite aeternae, ut vidimus num. 47. ex D. Thoma: ergo actus supernaturales hominis iusti independentem ab imperio charitatis haberet proportionem cum vita aeterna.

Secundò. Nam illi actus, est non procederent ex charitate, tendunt in Deum vltimum finem, suntque media proportionata ad ipsum, quia nulla natura potest operari nisi in ordine ad suum finem proportionatum, & finis gratiae est Deus vltimus finis: ergo sunt proportionati cum vita aeterna. Tertio. Nam saltem actus supernaturales attingentes Deum immediate, uti sunt actus fidei, & spei theologalis, sunt proportionati cum vita aeterna: ergo. Quarto, & vltimò: Nam in statu naturae purae operata moraliter bona sunt proportionata cum bea-

ritu-

ritudine vltima illius status, & ex se ordinantur in suum vltimum finem virtualiter independentem ab imperio amoris Dei super omnia: ergo idem dicendum est de actibus supernaturalibus quoad finem vltimum supernaturalem, & vitam aeternam.

Respondetur negando minorem quoad secundam partem. Et ad primam eius probationem dic primò, quod in presenti providentia nullus est actus liber procedens à gratia, qui non procedat à charitatis imperio: eo quod omnis motus liber cuiusvis naturae est in ordine ad suum finem conaturalem, & media potentia, seu virtute, cui competit habere pro obiecto specificativo talem finem, qua ratione omnis motus liber naturae rationalis est ex imperio voluntatis, cuius obiectum est finis ut finis: vnde cum finis conaturalis gratiae sit Deus prout est summè bonus, & Deus hoc modo sumptus sit obiectum specificativum charitatis; inde est, quod nullus actus supernaturalis liber procedit iuxta presentem providentiam à gratia, & non ex imperio charitatis. Sed quia potest fingi, aut dari hypothesis, in qua gratia influat in actus supernaturales, nullo interveniente influxu charitatis: dicendum est secundò, huiusmodi influxum gratiae non esse sufficientem ad illos condignificandos cum vita aeterna: quia solus influxus gratiae attingens Deum ut vltimum finem est sufficiens ad condignificandum actum cum vita aeterna, quae est summa attingentia, & vno cum Deo ut summo bono in se, quo pacto exercet rationem vltimi finis, ideoque solus influxus gratiae, qui est amor Dei super omnia, sive virtualis, sive formalis condignus est vite aeternae. Actus autem charitatis propterea non esset condignus vite aeternae, si per impossibile non procederet à gratia, quia ex vna parte non supponit idoneitatem merentis; & ex alia sine influxu gratiae, à qua accipit valorem, non adequat altimabilitatem vite aeternae.

Ad secundam respondetur, quod actus supernaturales ex se tendunt remote in Deum vltimum finem, & hoc modo tantum possunt dici media proportionata cum vita aeterna: sed ad illam promerendam necessaria est condignificatio proxima, quam nequeunt habere nisi per charitatem. Eodem modo respondetur ad tertiam: siquidem actus fidei, & spei, licet attingant Deum immediate, non verò sub ratione vltimi finis, aut super omnia dilecti, & propterea non sunt media proportionata proxime cum vita aeterna. ¶ Ad quartam, & vltimam respondetur, quod in pura natura iuxta nostram sententiam debet praecedere amor naturalis Dei super omnia ex vi praeccepti obligantis in primo instanti vltus rationis; & si non praecedit, homo erit in peccato, in quo statu nulla opera naturalia quantumvis bona sunt proportionata cum

Tom. III. Paul. Theol. Salin.

beatitudine; & si praecedit, ex vi primae illius intentionis virtualiter ordinantur in Deum vltimum finem naturalem, & hac ratione sunt proportionata ad praedictam beatitudinem.

§. VII.

Argumenta contra tertiam assertionem.

77 **A**Dversus tertiam assertionem arguitur primò: Nam si charitas esset ratio formalis merendi de condigno vitam aeternam, sequeretur, quod non augetur meritum, nisi augetur charitas, quia in ijs, quae se habent per se, ita se habet magis ad magis, sicut simpliciter ad simpliciter; sed hoc est falsum: ergo charitas non est tota ratio formalis merendi de condigno vitam aeternam. Minor probatur: tum quia per actum charitatis ut *quatuor* potest in vno imperari actus humilitatis ut *duo*, & in alio actus humilitatis ut *quatuor*; sed actus humilitatis ut *quatuor* est magis meritorius vite aeternae: ergo potest augeri meritum vite aeternae, est non augetur charitas. Tum etiam nam stante eodem influxu, aut actu charitatis formali, potest iustus elicere opus excellentioris virtutis, v. g. martyrij, aut fidei; sed per opus excellentioris virtutis magis iustus meretur de gloria essentiali, dummodo vtrumque opus evadat absolute informatum charitate: ergo idem quod prius.

Pro solutione huius argumenti (quod in hac materia non caret difficultate, & est radix plurimum obiedionum, quae brevitate gratiae debent praecaveri) plura pro intelligentia informationis charitatis notanda sunt. Notandum est ergo primò, quemlibet actum formalem charitatis quantumvis minimum esse magis meritorium vite aeternae, ceteris paribus, quam perfectissimum actum cuiuslibet alterius virtutis sumptum non solum secundum suam speciem, sed etiam ut informatum charitate. Ita D. Thom. 4. dist. 49. quilibet. 5. art. 1. ad 5. Et ratio brevis est: quia perfectissimum opus alterius virtutis, si consideretur secundum se, tantum conducit ad augmentum praemij accidentaliter, ut pluribus locis affirmat D. Thom. pro quibus videatur in Tabula aurea num. 54. si verò consideretur ut informatum charitate, quo pacto omne opus bonum moraliter est de condigno meritorium vite aeternae, tantum importat relationem virtualem charitatis, seu quoddam participium virtuale illius; constat autem, quod id, quod est tale virtualiter seu per participationem, non potest adequare cum eo, quod est tale formaliter & per essentiam: ergo nullum opus perfectissimum cuiuslibet virtutis potest esse aequè meritorium, sicut actus minimus charitatis.

78 Pro quo notandum est secundò, quod

Non

adus